perpendicularem ſuper lineam b c, quam pono æqualem a b, & produco lineam d c, erit per præcedentem, quadratum d c, æquale duobus quadratis duarum linearum d b & b c, & quia b d poſita eſt æqualis b a, erunt per communem ſcientiam quæ eſt linearum æqualium æqualia eſſe quadrata, quadrata duarum linearum a b & b d æqualia: quapropter erit quadratum d c, æquale quadrato a c, ergo per aliam cõmunem ſcientiam quæ eſt conuerſa prioris, ſcilicet, lineas, quarum quadrata ſunt æqualia, eſſe æquales, erit d c æqualis a c, quare per 8 angulus b trianguli a b c, eſt rectus, quod eſt propoſitum.



Eucli. ex Zamb. Theorema 34. Propoſitio 48.

48 Si trianguli quod ab uno laterum quadratum, æquale fuerit eis quæ ex reliquis trianguli lateribus quadratis, angulus comprehenſus ſub reliquis trianguli duobus lateribus, rectus erit.



THEON ex Zamb. Trianguli namq; α β γ, quod ex uno latere β γ quadratum, æquum ſit eis quæ ex β α, α γ lateribus, quadratis. Dico quod angulus β α γ, rectus eſt. Excitetur enim (per 11 propoſitionem) ab α, ſigno, ipſi α γ rectæ lineæ ad angulos rectos α δ. Et (per 3 propoſitionem) ponatur ipſi α β, æqualis α δ, & (per 1 poſtulatum) connectatur δ γ. Et quoniam æqualis eſt δ α ipſi α β, quadratum quod ex δ α, æquum eſt quadrato quod ex α β. Commune apponatur quadratum quod ex α γ, quadrata igitur quæ ex δ α & α γ, æqualia ſunt eis quæ ex β α & α γ quadratis. At (per præcedentem) quadratis quæ ex δ α & α γ, æquum eſt quadratum quod ex δ γ. Rectus enim eſt angulus δ α γ. Quadratis autem ex α β & α γ (per hypotheſin) æquum eſt quadratum quod ex β γ, nam id receptum eſt. Quadratum igitur quod ex δ γ, æquum eſt quadrato quod ex β γ. Quare latus δ γ, lateri β γ eſt æquale: & quoniam α δ, ipſi α β eſt æquale, communis autem α γ, duæ igitur δ α & α γ, duabus β α & α γ ſunt æquales, & baſis δ γ, baſi β γ æqualis. Angulus igitur δ α γ angulo β α γ (per 8 propoſitionem) eſt æqualis. At angulus δ α γ, rectus eſt: rectus igitur eſt & angulus β α γ. Si trianguli ergo quod ab uno laterum quadratum, æquum fuerit eis quæ à reliquis trianguli duobus lateribus, quadratis, angulus comprehenſus ſub reliquis duobus trianguli lateribus, rectus erit. Quod erat oſtendendum.

CAMPANI additio.

Propoſitis quibuſcunq; quadratis, alteri illorum gnomonem reliquo æqualem deſcribere.

Proponantur ergo duo quadrata, ſcilicet, a b & c d, & ſit propoſitum producere gnomonem circa quadratum a b, æqualem c d quadrato. Protrahatur itaq; unum latus quadrati a b ad æqualitatem unius lateris quadrati c d in continuum & directum, & ſit f e, ita quod f e ſit æquale uni laterum quadrati c d, & ex e ducam lineam rectam ad a: fit ergo triangulus orthogonius, quia f eſt angulus rectus. Nectatur ergo ſic argumentũ ſecundum penultimam primi, quadratum e a eſt tantum, quantum quadratum e f & quadratum f a, ſed quadratum e f eſt æquale quadrato c d, & quadratum f a eſt æquale quadrato a b, ergo quadratum a e, eſt æquale quadratis a b & c d. Item e f a, eſt triangulus, ergo e f & f a latera, ſunt longiora a e latere, ſecundum 20 primi, ſed f a eſt æquale f b ratione quadraturæ, ergo e f & f b ſunt longiora a e, ergo illa totalis linea, ſcilicet, e b, eſt maior a e: reſecetur ergo b e ad æqualitatem a e, ad punctum c, ita quod b c ſit æquale a e, ergo quadratum b c eſt æquale quadrato a e, ſed quadratum a e, ut prius probatũ fuit, eſt æquale quadratis a b & c d, ergo quadratum b c eſt æquale eiſdem. Sed quadratum b c addit ſupra quadratum a b, gnomonem illum quem uides, ergo gnomo ille, eſt quadrato c d æqualis, quod erat probandum.



LIBRI PRIMI FINIS.